

Iertia, devotioque potuit quidpiam desiderari in se passi sunt, quin adimpleatis omnibus muneris sui numeris, Gratiam nostram Caesareo Regiam ubertim promeritos ad vos remittimus, quam ipsam vobis istisque fidelissimis Regnis nostris perpetuo addicti manemus. Dabantur Viennae Austriae die... Anno 1712.

Originale in c. r. secreto aulico Archivio Viennae.

1712. DIE 16. MAII. VIENNAE.

*Carolus III. Rex, Regna Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae de conservandis eorum juribus et libertatibus iterato certiora reddit.*

Carolus Sextus Divina favente clementia Electus Rom. Imperator Semper Augustus, Germaniae, Hispaniarum, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Rex, Archidux Austriae.

Reverendi, honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Generosi, fideles Dilecti!

Quam grata Nobis fuerit declarata rursum et in nuperno Conventu Zagrabiensi, et per Solennem Legationem a fidelissimis inclytorum Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Statibus in Nos totamque Augustam Domum avita devotio, providaque avertendorum, quantum fieri queat, futurorum discriminum sollicitudo, ipsi Ablegati Vestri, Reverendus, Spectabiles et Magnifici Generosusque Comes Emericus Esterhazy de Galantha, Episcopus Zagrabiensis, Abbas B. Mariae Virginis de Thoputzka, Consiliarius olim Caesareus et Officii Banalis in Politicis Locumtenens, Joannes Draskovich de Trakostain, Consiliarius nuper quoque Caesareus et Camerariorum per Hungariam Magister, Generalis Vigiliarum Praefectus, Comitatuum Valkowar et Burona Supremus Comes, denique Georgius Plenich de Ottok, Consiliarius antea pariter Caesareus, Regnorumque Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Prothonotarius, testimonium perhibere poterunt. Referent Vobis ijdem, quid ad rem tam Salutarem omnino perficiendam et quam Solidissime stabiliendam Nobis necessarium visum fuerit, neque adeo dubitamus, quin una Nobiscum, ubicunque usus postulaverit, Vos porro sedulo incubituri sitis. Vobis vicissim firmissime spondemus, non solum Vesta Vobis jura, Privilegia, et immunitates a Nobis Successoribusque nostris inviolabiliter semper conservatum, sed nec praeterea quicquam omissum iri, quod ad ingenitam Austriaci Sanguinis benignitatem et Clementiam demonstrandam, Regnorumque optime meritorum commoda ulterius provehenda facere queat. Superest, ut probatos iam luculento judicio Vestro ipsosmet Ablegatos Vestros, obita apud nos egregie functione, reduces, nostris quoque verbis commendemus, Vosque simili de perenni gratia Nostra Caesareo Regia quam certissimos reddamus, quod et lubentissimo animo ac benignissima in Vos omnes et singulos voluntate nunc